



**R. P. Georgii de Rhodes Avenionensis S. J. disputationum
theologiae scholasticae tomus ...**

Rhodes, Georges de

Lugduni, 1661

Sectio III. De actu scientiæ diuinæ generatim.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81987](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81987)

malum absolute futurum, queritur enim in quo mala illa fieri possint conditionate.

Conclusio. Dico primò, Deus distinctissimè & propriissimè cognitione cognoscit omnia obiecta creata etiam minutissima & singularia, quæcunque sunt realia, & cognoscibilia, ita S. Thomas art. 5. 6. 9.

Scripturæ. Primò enim sic habetur ex scripturis, Iob 28. *Fines mundi intuetur, & omnia quæ sub celo sunt, respicit: & iterum ibidem, vniuersum finem ipse considerat, lapidem quoque caliginis, & umbram mortis, Ecclesiast. 1. arenam maris, pluuia guttas & dies seculi quis dinumerauit, vnus est altissimus creator*, alia omitto innumera.

Patres. Secundò mirabiliter exultant in eo argumento, Patres, Irenæus l. 2. c. 45. *Omnia quæ facta sunt, fiunt, & sunt, ita scribi video vt det illis singulis speciem, habitum, ordinem, numerum, quantitatem.* Basilii in psalm. 32. *Deum ostendit attentum esse ad omnes motiones humani cordis, singulasque numerare, & annotare.* Chrysostom. homil. 7. in epist. ad hæbr. *Oculum Dei omnia etiam secretissima peruadentem miratur, & describit eximie.* Cyrillus l. 9. de adorat. *Innumeros Deo tribuit, oculos vt nos respiciat, & mentem omnia scientem exaggerat.* Cyrillus, Hierosoly. Catechesi. 6. exemplo guttarum pluuia quas omnes nouit, explicat latitudinem scientiæ diuinæ. Macharius homil. 12. quod nouerit omnes cogitationes, cum nullus cogitationes vnus diei numerare valeat quæ omnia extendit optimè Lessius l. 6. c. 1. & 2.

Hieronymus. Difficilis tantum est locus Hieronymi ad illud Abacuc primo *Mundi sunt oculi tui ne videant malum:* ubi ait absurdum esse ad hoc Dei deducere Maiestatem vt sciat quot quotidie nascantur culices, aut quanta sit mulcarum multitudo: *Non simus* (inquit) *am stulti adulatores Dei; vt dum potentiam eius ad ima detrahimus, in nos iniuriōsimus, eandem irrationabilium cum rationalibus prouidentiam esse dicentes, quem locum negat Vasquez excusari posse ab errore, sed mitius tamen S. Doctorem explicant alij, quod Deo negauerit cognitionem prouidentia peculiari circa creaturas irracionales quam habet circa singulos homines supra exigentiam causarum secundarum.*

Rationes. Tertiò, ratio apertissimè idem probat, quia intellectus essentialiter infinitus in genere cognoscentis, quo null' esse potest perfectior extendit se, ad omne cognoscibile eo ipso, quod est cognoscibile. Imò si Dei omnipotentia singula etiam minutissima efficit, necesse omnino est vt illa nouerit etiam suā scientiā. Quomodo? enim aliquid nesciens fecit.

Secunda conclusio. Dico secundò, Deus propriissimè ac distinctissimè actu & simul cognoscit entia infinita ita etiam S. Th. art. 12. contra Durand. & Aureol.

Ratio est, quia tota collectio possibilem & futurorum tum absolute tum conditionate omnino est infinita cum inter possibilia nullum sit vltimum, neque inter dies æternitatis, & cogitationes Angelicas futuras per æternitatem. Deus autem cognoscit distinctissimè omnia, & singula possibilia, eorumque combinationes, & complexiones, & quid singula facere aut pati possint, deinde quid singula datā quāuis occasione factura essent, denique quid de facto totā æternitate factura sint, quæ vt vides, infinities infinita sunt. Denique infinitas non tollit cognoscibilitatem, cum Deus sit maximè cognoscibilis, fateor quod infinitum non est successiue cognoscibile cognoscendo vnam eius partem post aliam, sed simul totum intelligi potest.

Tertia conclusio. Dico tertiò, Deus etiam distinctissimè cognoscit omnes negationes, & priuationes, omnia entia rationis excogitabilia, & omnia mala: ita S. Thomas art. 10. & 11.

Ratio vniuersum est, quia illa omnia cognoscuntur

ab intellectu infinito quæ sunt cognoscibilia: Primò autem negationes, & priuationes sunt cognoscibiles in formis oppositis; non enim potest comprehendī homo, quin cognoscatur opposita illi negatio. Deinde cognosci possunt in subiectis in quibus sunt, & in se ipsis immediatè possunt cognosci, cum sint verè cognoscibiles. Secundò entia etiam rationis cognoscit Deus cum cognoscat comprehensiue intellectum, & omnes operationes quas potest habere, neque inde sequitur quod Deus faciat ens rationis, cuius totum esse est cognosci practicè ac primariò, nō speculatiue, ac secundariò, tanquam ab alio factum, quo tantummodo Deus illud cognoscit, sicut Deus non mentitur quando cognoscit hominem mentiri. Eademque ratio est de malo quod Deus cognoscit vt factibile à creatura quam in se ipso cognoscit.

Ad primam Resp. Deum cognoscere distinctè ac determinatè totum quod est necessarium, vt sit infinitum, cognoscit enim infinitas vnitates esse necessarias. Deinde dico infinitum illud syncategorematicum etiam quatenus est actu totum in mente Dei esse infinitum syncategorematicum, quia Deus illud cognoscit vt est in se, etiam si non sit in mente Dei partim actu, partim potentia. Deus videt diuisiones continui possibiles eo modo quo sunt possibiles, atque adeò ita illas videt vt non videat vllam vltimam inter illas.

Ad secundam Resp. nullum in scientia, & potentia Dei esse respectum realem secundum esse ad creaturas quia est ens magis necessarium quàm sit creatura, & illà implicante adhuc Deus non implicaret, manerētque tota eius scientia & potentia secundum entitatem, non maneret secundum terminationem. Ad argumentum ergo respondeo negando totam rationem propter quam creata cognitio ordinatur ad obiectum, reperiri in diuina cognitione, quæ tota esse potest secundum entitatem, quamuis non cognosceret creaturas. Ad confirmat. nego diuinam cognitionem habere perfectionem vllam ab obiecto secundario, cum ab obiecto primario habeat perfectionem infinitam, vnde semper æquè perfecta esset quamuis non terminaretur ad creaturas quomodo autem non specificetur ab obiecto secundario patebit ex sequentibus.

Ad tertiam Resp. negationes, entia rationis, & mala cognosci à Deo posse in se ipsis terminatiue vt constabit ex sequentibus.

SECTIO III.

De actu scientia diuina generatim.

Art. 7. 15. 16.

AB obiecto transeo ad actum illum Deus quo attingit latitudinem illam infinitam obiectorum, & proprietates eius breuiter enūmero, quarum alia pertinent ad entitatem ipsius actus, alia ad eius terminationem.

Ratio dubitandi primò est: quia si Deus ab æterno cognoscit Angelum possibilem, & futurum, sequitur quod in eodem instanti temporis cognoscit Angelum futurum, & non futurum, nam esse tantum possibilem, est esse non futurum. Neque dicas in illo instanti temporis duo distinguenda esse signa rationis. Nam illa signa vel sunt ficta vel realia, si primum ergo illa cognitio est ficta: si secundum ergo Deus realiter cognoscit Angelum esse futurum & non futurum, deinde si Deus ab æterno cognoscit futurum, non potest non cognoscere futurum; si enim potuit non cognoscere futurum, vel potuit aliquo instanti, vel per totam æternitatem, non primum, quia nullum est instans ante quod Deus non sciuerit: non secundum quia nunc Deus non potest co-

Solutio primæ dubitandi.

Solutio secundæ.

Solutio tertiæ.

Triplex dubitatio.

gnosceret illud obiectum ut non futurum, est enim necessarium futurum.

Secundò, Deus multa nunc scit, quæ ab æterno aliter potuit cognoscere, ergo ab æterno scientia Dei variari potuit secundum entitatem, & terminationem, implicat enim ut varietur entitatiue terminatio actus, quin actus ipse varietur entitatiue nam actus ipse non est aliud entitatiue quam tendentia, & terminatio ad obiectum, variari ab æterno potuit terminatio, ergo & actus entitatiue variari potuit. Maior probatur quia hæc terminatio non potest esse realis, quin sit aliqua entitas, sed est verè realis, ergo est entitas, si ergo mutatur secundum terminationem, mutatur etiam secundum entitatem.

Tertiò, si actus ille ab æterno fuit variabilis secundum terminationem, sine vlla sui mutatione, variabilis etiam nunc est quia nullam patietur mutationem. Deinde aliter Deus scit obiectum quando illud est præteritum, & quando est futurum, v.g. sciuit olim Christum esse nasciturum, quod nunc non cognoscit, ergo scientia Dei variatur secundum terminationem.

Dico primò, actus scientiæ diuinæ nullo modo est accidentalis, multiplex, variabilis, aut dependens ab obiectis: sed est verè substantialis, omnino vnicus, & indiuisibilis, & tamen simpliciter infinitus: necessarius, simul & liber: æternus, & inuariabilis: ad obiecta omnia terminatus, & tamen independens ab illis.

Est substantialis.

Ratio illorum omnium est summa Dei simplicitas, puritas, infinitas, ex quibus sequitur summa vnitas, & identitas omnium eorum quæ sunt in Deo. Vnde primò actus ille accidens esse nullo modo potest, sed est substantia ipsa Dei concepta per modum vitalis tendentiæ in obiecta, & per se ipsam vitaliter illa repræsentans.

Est vnicus.

Secundò, licet infinita complectatur, vnicus tamen est ad omnia omnino terminatus sine pluralitate vlla, vel reali, vel formali, quia cognoscit omnia sua obiecta materialia sub vna ratione formali; quod non impedit quominus ex parte obiecti materialis multiplex in Deo distingui possit scientia.

Est infinitus.

Tertiò, hæc scientia infinita est simpliciter, tum in genere entis, tum in genere cognitionis, quia continet omnem omnino perfectionem tum intensiuam, tum extensiuam possibilem in genere cognitionis, extenditur enim ad omnia obiecta eo ipso quod illa cognoscibilia sunt, sine vlla sui mutatione: nam est sufficiens ad cognoscenda omnia, eo ipso quod illa sunt, sicut sine vlla sui mutatione coexistit tempori quod prius non erat: & omnia cognoscit cum summa certitudine ac claritate, quod est cognitionem esse infinitam intensiuè simul ac extensiuè.

Necessarius, & liber.

Quartò, necessarius est actus ille, sed nihilominus tamen liber, quia illa eadem scientia quæ terminatur necessariò ad obiecta necessaria, liberè terminatur ad contingentia neque realiter vnus actus plus habet quam alter quamvis inter vtrumque aliqua sit formalis distinctio, scientia enim libera nihil superaddit necessaria, nisi terminationem contingentem, quod non impedit quo minus scientia libera sit adæquatè intrinseca Deo ut dicitur postea de actu libero voluntatis, est enim par ratio de scientia libera.

Æternus.

Quintò, ille actus scientiæ diuinæ simpliciter æternus est, quia nunquam cæpit aliquid scire, nunquam scire desinit, nunquam interruptitur eius attentio per otium aut somnum: omnia enim ab æterno præsentia sunt illi, & simul distinctè terminant eius cognitionem. Quod non impedit quo minus in ea cognitione varia possint distingui signa rationis, quorum vnum est prius alio, quoties vnum obiectum est alio prius. Verum hæc scientia non solum est æter-

na, sed etiam est inuariabilis, tum entitatiue, tum terminatiue, id est non solum mutari non potest secundum entitatem quæ identificatur realiter essentia, sed etiam secundum terminationem ad obiecta mutabilia, sicque nihil Deus de nouo discit, nihil obliuiscitur, nihil alio modo scit quam ante: Ratio est quia variari non potest hæc cognitio prout terminatur ad obiecta necessaria, quæ semper eodem modo se habent, neque prout terminatur ad obiecta contingentia, quæ aliquando sunt aliquando non sunt, quia Deus ab æterno illa omnia nouit prout futura sunt in certa quadam temporis differentia. *Omnia enim tempora* (inquit S. Prosper l. 2. de vocat gentium c. 13.) *præsentia Deo sunt, & illa sempiterno, ac stabili comprehendit intuitu*, quod S. Thomas explicat exemplo illius qui è specula intueretur homines ambulantes, alios priores, alios posteriores, haberet enim omnes æqualiter præsentis.

Sextò, scientia illa Dei est independens ab obiectis, & ab illis, non specificatur, neque habet ad illa relationem, sed præcisè ad illa terminatur, id est illa cognoscit, sine vlla ordinatione aut dependentia: sicut imago Cæsaris nondum existentis, existens omnino inuariatè, Cæsarem repræsentaret existentem eo ipso quod Cæsar inciperet existere. Illa ergo terminatio scientiæ ad obiecta, est quidem ipsa repræsentatio, & tendentia, quæ non est pura entitas actus intrinseci Deo, neque illa entitas simul, & obiectum extrinsecum, sed entitas illa intrinseca, in recto, prout in obliquo connotat obiectum extrinsecum.

Independens ab obiectis.

Dico secundò, scientia diuina ad quodcunque obiectum terminetur, semper est certa & euidens: intuitiua, quidditatiua, comprehensiua: purè iudicatiua, non autem discursiua compositiua, vel apprehensiua: speculatiua simul & practica, perfectissimè scientificata: directa & supra se ipsam reflexa.

Perfectio terminatiua.

Ratio illorum omnium est quia scientia etiam secundum terminationem & secundum modum attingendi obiecta, est infinita. Vnde primò sequitur quod certò, & euidenter feratur in obiecta omnia cum sit intensiuè infinita. Secundò, quod sit intuitiua quidditatiua, & comprehensiua, eandem ob causam. Tertiò, quod non sit discursiua vel compositiua, ubi exigeretur pluralitas actuum, & progressus ab ignoto ad notum, cognitio autem purè apprehensiua imperfecta est. Quartò, quod sit speculatiua quatenus cognoscit obiecta iam posita, id est existentia, futura, vel præterita, & sit practica quatenus dirigit potentiam operantem, atque aded est causa rerum. Quintò perfecta scientia est quia excludit omne dubium, opinionem, & formidinem sed quia tamen per se ipsam tanquam per causam vniuersa cognoscit ut postea dicam, magis propriè dici debet sapientia quæ cognitio est rerum per altissimas causas: est prudentia quatenus est ratio agendorum in finem; destinatur enim sibi finem perfectissimum, & media eligit optima: est ars quia cum recta ratione omnia operatur perfectissimè per ideam est; intellectus quia omnia nouit ex penetratione terminorum, neque quidquam est, quod ei non sit per se notum: quomodo autem sit reflexa supra se ipsam dictum est sect. 1.

Ad primam Respond. Angelum in eodem instanti etiam nunc cognosci à Deo ut possibilem, & ut futurum, neque tamen cognosci futurum, & non futurum negatiue id est quasi Deus in illo primo signo neget Angelum esse futurum, quamuis non cognoscat illum esse futurum, præscindendo à futuritione quam in posteriori signo intelligit. Potest enim aliquid esse possibile, simul & futurum, imò si non esset possibile non esset futurum, quia possibile non dicit quidem futuritionem, sed illam non negat. Illa signa rationis non sunt ficta sed realia quia licet Deus cognoscat realiter,

Solutio primæ dubitationis.

realiter, simul tempore obiectum ut possibile, & ut futurum, prius tamen secundum nostrum modum intelligendi, obiectum intelligit possibile quam futurum, quia obiectum prius est possibile quam futurum; tota enim in obiectis prioritas est, non in cognitione, ideo propter sola obiecta dicuntur esse in Deo plura signa rationis. Denique Deus ab aeterno cognoscit futurum, & ab aeterno potest illud non cognoscere, nam illud ab aeterno non significat aliquid instans determinatum sed totam aeternitatem, nunc enim Deus potest absolute cognoscere obiectum illud non futurum, quamvis ex suppositione quod sit futurum Deus non possit illud non cognoscere ut futurum.

Solutio secundae. Ad secundam Respond. disting. consequent. ergo scientia Dei ab aeterno variari potuit secundum id quod dicit in recto nego: secundum id quod dicit in obliquo concedo, illa enim terminatio est ipsa entitas connotans extrinsece obiectum. Nunc autem variari nullo modo potest etiam secundum id quod dicit in obliquo, quia quidquid est futurum, est ab aeterno futurum; ideoque cum variari non possit obiectum, cognitio quoque ipsa variari non potest etiam extrinsece.

Solutio tertiae. Ad tertiam satis dictum est quare actus qui ab aeterno variari potuit secundum terminationem, nunc variari non possit, quod si aliquid de nouo inciperet esse futurum, fateor quod sine variatione intrinseca posset Deus scire illud de nouo, sed haec omnia pendent ex dicendis de actu libero Dei. Hanc propositionem: Deus aliter scit obiecta quando futura sunt, & quando sunt praeterita, distinguit S. Thomas aliter ex parte sui nego, eodem enim modo Deus illa omnia cognoscit: aliter ex parte obiectorum, concedo, Deus enim cognoscit obiecta illa se aliter habere. Unde hanc propositionem: Deus scit quaecumque sciuit dicit sanctus Thomas esse veram, ex parte Dei, non ex parte enunciabilium, quia licet obiecta diuerso modo se habeant Deus tamen eodem modo illa scit, quia sciuit ab aeterno, quo modo illa futura sint pro hac vel illa differentia temporis.

SECTIO IV.

Multiplex diuisio scientiae diuinae.

Vni sunt species. Certum est primum, scientiam Dei non posse diuidi, etiam per intellectum in multas scientias specie diuersas, quia scientia specificè non differunt nisi per obiecta à quibus specificantur, sed obiectum formale specificans scientiam Dei est vnum simpliciter, quia vnum est in Deo primum obiectum & motuum ut dicitur in sequentibus, ergo non sunt in Deo scientiae plures formaliter diuersae, sed ad summum materialiter.

Prima diuisio. Certum est secundum, scientiam Dei optimè diuidi primum in scientiam simplicis intelligentiae, & scientiam visionis, secundum in scientiam naturalem, & liberam. Tertio in scientiam speculatiuam, & practica. Primam diuisionem habet hic S. Thomas art. 9. scientia simplicis intelligentiae dicitur illa quae cognoscit obiecta possibilis non cognoscendo actuales eorum existencias. Scientia visionis illa dicitur quae cognoscit obiecta quae habent actualem existentiam pro aliqua differentia temporis & haec est harum scientiarum vera notio, non autem illa quam alij fingunt quod vna praecedat decretum, alia sequatur ut sic excludatur à scientia possibilium scientia media quae neque antecedit, neque sequitur decretum ut postea dicitur.

Secunda diuisio. Secunda diuisio vulgò etiam admittitur, scientia naturalis, & necessaria terminatur ad ea quae non possunt se aliter habere, cuiusmodi sunt Deus, & en-

tia possibilis. Scientia libera dicitur illa quae cognoscuntur obiecta quae possunt se aliter habere, cuiusmodi sunt omnes creaturae in aliqua existentes differentia temporis, ubi patet posteriorem hanc diuisionem multum differre à precedente cum Deus cognoscatur scientia naturali, & tamen scientia visionis.

Tertia diuisio. Tertia etiam diuisio in scientiam speculatiuam & practica receptissima est, quia scientia Dei (ut dixi) sic est scientia, ut etiam sit ars, & prudentia, speculatiua ergo scientia dicitur illa quae tantum cognoscit obiecta, nihil operando circa illa quo pacto Deus cognoscit se ipsum, & res futuras vel existentes. Practica illa dicitur quae ita cognoscit obiecta, ut dirigat potentiam circa illa operantem, & haec vocari solet scientia approbationis, quae Deo proponitur obiectum amabile ut faciendum. Alias omitto diuisiones scientiae diuinae minus necessarias; difficultas solum esse posset, utrum diuisiones illae, in scientiam simplicem, & scientiam visionis, & in scientiam necessariam & liberam, ita sint adaequatae ut nulla inter illas detur scientia media, sed hoc quaest. 4. commodius soluetur.

QVÆSTIO II.

De scientia simplicis intelligentiae.

His ita generatim constitutis de scientia Dei, venio ad praecipuas eius species, inter quas prima occurrit scientia illa simplicis intelligentiae, quae veratur circa rerum naturas, & proprietates, abstrahendo ab actuali exercitio existentiae, in qua video quæri posse duo, quid cognoscatur, & in quo medio cognoscatur, quod autem quæri poterat ulterius, utrum extra se omnia efficiat, siue utrum illa sit causa rerum, dicitur quaest. 5.

S. I.

Quanam obiecta cognoscantur à Deo per scientiam simplicis intelligentiae.

Certum est primum, ens possibile dupliciter possibile. Primum prout opponitur rei impossibili, id est prout praescindit ab existentia. Secundum prout opponitur rei actu existenti, seu prout negat actualem existentiam. Ens possibile primo modo sumptum significat illud quod non implicat contradictionem, seu illud quod non repugnat existere, quod ut videtur conuenit ipsi etiam Deo, & rei cuiuslibet actu existenti: sumptum autem secundo modo, significat illud quod licet non implicet existere actu, nondum tamen actu existit. De hoc utroque possibili controuersum est inter philosophos quid sit, & quomodo differat ab eo quod actu existit; Primum enim rejicitur vulgò Scotus qui putat, ens illud quod denominatur possibile, esse aliquid actu productum effectiue, aut exemplariter à cognitione diuina, quod vocat esse obiectuum & diminutum. Secundum rejiciuntur Fonseca, & Albertinus, qui putant ens possibile, esse aliquid esse essentiae actuale distinctum ab esse existentiae, independens à Deo, nullo modo Chimericum, sed reale, quod vocant esse essentiae. Tertio rejici debent quidam recentiores, qui putant rei possibilitatem non esse aliud formaliter, quam omnipotentiam Dei, prout factiuam creaturæ, quasi verò possibilitas non sit aliquid commune Deo, & creaturis; & non possit reddi ratio cur Deus possit creare hominem, quia homo in suo conceptu non includit contradictionem, sicut redditur ratio, cur Deus non possit creare Chimeram, quia illa in suo conceptu includit contradictionem; si enim est prius quod Deus possit creare hominem, quam illum non includere contradic-

Eos possibile quid sit.